

1509 reipublicæ : vellent ob reliqua totius patris sui vitæ in rem publicam officia & studia eum civitati aliquando tandem restituere : ut , qui esset jam conclamata senectute , in patria saltēm sepeliri sua posset . quam quidem rem adjuvabant Dominici Cardinalis adhibitæ Julio pro republica assiduæ diligentissimæque preces : tametsi adhuc quidem propter naturæ illius illiberalitatem atque inclem tam parum profuissent . tum perturbatis atque adeo tantopere inclinatis civitatis rebus ad lenitatem dari se se , profecto æquissimum magistratibus videbatur . itaque triumviris legem majoribus comitiis ferentibus , ante diem **XV.** calendarum quintilium Antonius ab exilio frequentibus sententiis revocatus , rei que publicæ restitutus , paucos post dies Roma , ubi aliquot annos fuerat , domum rediit , cum illum Patres etiam nunc absentem in sexvirum , qui rem publicam in Senatu procurant , collegium pluribus quam cæteros suffragiis adoptavissent .

De legatis a Senatu lectis , qui ad se venirent , & nuncium Julius læto animo accepisse præ se tulit , & literas de ea re ad Aloisium & Maximilianum statim dedit : quibus literis eos certiores faciebat , velle se rem publicam in eam , quæ ante bellum secum intercedebat , necessitudinem benivolentiamque recipere . Id autem ea de causa scire eos voluit , ne quid amplius contra illam cogitarent : sibi ipse suisque rebus , si ii rem publicam oppressissent , posse idem accidere non temere existimans . quod si id minus erat extimescendum , omnino se coactum iri imperata eorum facere , subiectis deletisque Venetis , pro explorato ducebat . Senatui autem per Dominicum & Marcum Cardinales significavit , ubi legati Romam venissent , se interdictum remoturum . quam ob rem a Senatu jussi sunt naves triremes quam primum consendere , Anconamque proficisci , ut Flaminiam evitarent , quam res publica turpiter amiserat . At apud Mestre Cornelius legatus certior factus in Taurisanis civibus esse nonnullos , qui tum quoque novis rebus studerent ; eo cum quingentis equitibus Epirotis profectus duodecim eorum in vincula conjectos

ad